



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Duæ Scholasticorum sententiæ. cap. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

vsuari solent, quos enumerat statim eodem capite his verbis. Ita vnus, quidem est (quemadmodum & in diuisione contrariorum descripsimus) idem, simile, & aquale, multitudinis vero, diuersum, dissimile, & inaequale est, de quibus statim differet, & varias acceptiones illorum affert.

Verum enim vero, si Aristoteles verbis allegatis vellet significare, vnum & multa opposita esse multis modis oppositionis, etiam vt significatur, sicut diuisum & indiuisum, hoc non obstar, quo minus non opponerentur contrarie, vt nos contendimus; imo sequeretur, non solum oppositi priuatiue, vt aduersarij defendunt. Et hæc satis de testimonio Arist. quod iussit omnium quæ afferri possunt, nobis esse debet.

Sed ratione probatur, primum quidem argumento ad hominem. Si enim verum est, vt Sanctus Thomas fatetur locis citatis, vnitatem, quæ est principium numeri in prædicamentis quantitatis, significare aliquid positium formaliter, quod alio modo explicari nequit, quam quod sit principium numeri, cur ergo vnitatis, quam vocant transcendentalem, quæ non solum in rebus quantis, sed in alijs etiam reperitur, non erit formaliter quid positium, quod principium multitudinis esse dicatur. Quod si respondeas, vnitatem numeri, qui est in prædicamento quantitatis, supra substantiam addere aliquid positium re ipsa distinctum, scilicet quantitatem corporis continuam, supra illam tamen nihil positium addere, sed solum negationem diuisionis, & ita, quod ad hoc spectat, eandem esse rationem vtriusque vnitatis, sequitur magnum absurdum, nempe numerum de prædicamento quantitatis formaliter, non nisi priuationibus consistere, quod vero vnitatis numeri qui collocatur in prædicamento, sit in quantitate continua, parum refert, quantitas enim continua non est ratio formalis vnitatis, sed materiale subiectum, alioquin vna species quantitatis secundum rationem formalem scilicet secundum continuitatem, componeret aliam nempe numerum: vnitatis vero consideratur à Mathematico abstracta à quauis materia, & à quantitate corporis: ergo quamuis vnitatis negatione commodius à nobis explicetur propter rationem superius assignatam, eius tamen formalis ratio est quid positium, quod explicari potest per principium multitudinis.

Deinde probari potest: quoniam omnis negatio, quæ est in subiecto nascitur ex aliquo fundamento positio, vt patet inductione: illud ergo formale positium, quod consequitur negatio diuisionis, erit formalis ratio vnitatis: namque, vt sequenti capite dicemus, ens vt ens, vel esse, significatur extra numerum singularem, & pluralem, abstrahitur ab vno & à pluribus: ergo vt ei coniungatur negatio diuisionis, aliquid etiam positium ei accedere debet: alioquin non magis ei conueniret negatio diuisionis, quam ipsa diuisio, & multitudo.

Postremo, si vnitatis est priuatio, aut negatio non potest esse alterius, quam multitudinis: ac proinde prior debet esse multitudo, quam vnitatis: quia prior est natus, quam priuatio: consequens autem est absurdum, quia vnitatis potius est principium multitudinis. Respondent aliqui, vnitatem formaliter consistere in negatione

multitudinis, non formaliter acceptæ, sed pro fundamento: fundamentum autem multitudinis dicunt esse hanc & illam entitatem. Verum hæc solutio friuola est: nam vnitatis non priuat hæc, & illa entitate: alioqui vnitatis, quæ est in Petro, & Ioanne, esset negatio entitatis ipsius Petri, & Ioannis, quæ est multitudo pro fundamento. Dicunt, non esse priuationem entitatum secundum rationem entis, sed secundum rationem huius, & illius simul. Verum hoc nihil aliud est, quam asserere, vnitatem esse priuationem huius & illius entitatis, quatenus diuisa & plures sunt: & ita secundum illam rationem vnitatis erit priuatio multitudinis formaliter; ac proinde multitudo erit prior, quod tanquam absurdum supra inferebamus. Porro autem negationem diuisionis, & multitudinis idem esse; quia multitudo, & diuisio formaliter idem sunt, sequenti disp. patebit.

CAPVT III.

Respondetur fundamento prioris sententia.

Ad rationem prioris sententia: Respondeo, cogitari quidem posse rationem entis præcisa aliqua ratione positua, etiam si non intelligatur ratio vnitatis, aut pluralitatis. Ita enim vnitatis & bonitas sunt passionis entis, vt ens sine illis possit intellectu apprehendi, etiam si cum illis reciprocetur. Quinimo aliter ponitur bonitas passio entis, quam vnitatis: hæc enim sola non reciprocatur cum ente, sed vnitatis vel pluralitatis: bonitas autem sola cum ente conuertitur, & illius passio esse dicitur. Intelligitur autem ratio entis non intellecta vnitatis, nec pluralitate, quoties concipimus ipsum ens, neque in numero plurali nec in singulari, vt significatur verbo infinitiuo, *Esse*: quod si ens alijs nominibus, aut verbis significatur, non potest cogitari, nisi aut sub vnitatis, aut sub multitudine; non ideo est, quia ratio vnitatis sit negatio; nam licet ita esset, posset sine negatione apprehendi, sed quia nomina per numerum singularem, & pluralem disposita sunt, vt significant ens tanquam vnum, vel tanquam multa. Quare idem argumentum contra priorem sententiam confici posset, & eodem modo soluendum esset, nempe quacumque negatione præcisa semper quodlibet ens apprehendi, vt vnum, & singulare, ac proinde rationem vnitatis, non posse in negatione constitui.

DISPUTATIO CXXXIX.

An nomina numeralia significant aliquid positium in Deo.

Due Scholasticorum sententia. c. 1.

Magister ergo in 1. distinctione 24. existimat, nomen multitudinis, & numeri Deo solum convenire negative, & metaphorice, ut nihil positivum ei proprie conveniens significet: tribuitur itaque (inquit ille) hoc nomen Deo, ad remouendam unitatem personarum: quare secundum Magistrum idem significat nomen numeri in Deo, atque non vnum: imo addit eodem modo secundum metaphoram hæc nomina Deo convenire sicut nomina quantitatis continuæ, ut *longitudo, latitudo, & profunditas*.

Huic sententiæ ex adverso se opponunt Scholastici omnes, quotquot huius controuersie mentionem fecerunt. Alexander prima parte quæst. 45. memb. 2. & 3. Bonaventura in primum dist. 24. articulo 2. quæst. 1. Scotus quæstio. 1. in fine, Gregor. qu. 2. articulo 4. Gabr. qu. 2. articulo 2. & articulo 3. dub. 2. Durand. quæst. 1. Capreolus quæstio. 1. articulo 2. conclus. 2. & 3. Marsilius in primum qu. 27. articulo 2. & 3. ad dubium secundum, Sanctus Thomas, & Caietan. & Canariensis in hoc articulo docentque contra Magistrum, nomen numeri non significare in Deo solum negationem unitatis, & indiuisibilis. Eorum vero ratio est huiusmodi: Si nomen numeri solum significaret negationem unitatis, & indiuisibilis, cum eadem sit ratio unitatis, omnia nomina numerorum significarent negationem eiusdem rationis formalis, & unitatis; idem igitur esset Deo tribuere ternarium, quod tribuere quaternarium: quia idem omnino hæc duo significarent: quod est plane absurdum.

Quid significari putet S. Thom. nomine multitudinis.

Cæterum licet prædicti Doctores contra Magistrum conspirent eo modo, quem diximus, inter se tamen variant in explicanda significatione nominum multitudinis, & numeri. Nam Sanctus Thomas in hoc articulo, quem sequitur Caietanus, & Canariensis ibidem, & Capreolus loco allegato, affirmant nomina multitudinis præter unitates nihil formaliter supra ipsas significare, sed solum negationem; non (ut dixit Magister) negationem unitatis; sed diuisionis circa vnamquamque rem: cumque ex sententia Sancti Thomæ ratio unitatis posita sit in hac negatione diuisionis; nomen multitudinis supra ipsas unitates nihil formale, nec reale, nec rationis significabit. Horum sententia, non video, qua alia ratione probari possit, nisi quia, si hæc nomina aliquam rationem multitudinis supra unitates significarent, sequeretur omnem multitudinem etiam rerum spiritualium esse in prædicamento quantitatis, quod ipsi putant absurdum. Ideo namque multitudo rerum quantarum est in prædicamento, quia supra unitates addit aliquam rationem positivam.

CAPVT II.

Nomina numerorum in Deo, significare aliquid positivum supra singulas unitates, verior opinio est.

Mihi probabilior semper visa est opinio aliorum, qui docent, nomina multitudinis non solum non significare negationem unitatis, ut contra Magistrum probauimus: verum etiam rationem aliquam formalem supra singulas unitates denotare: siue dicamus, rationem unitatis in negatione, siue in positivo consistere. Hanc senten-

tiam tradiderunt Bonaventura, & Durandus superius citatus, tamen doceat, rationem unitatis in priuatione formaliter sitam esse. Et colligitur ex Alexandro 1. parte qu. 1. memb. 4. cum aliter, vnum & multa opponi contrarie; quod verum non esset, si multitudo non significaret aliquid positivum distinctum ab ipsis unitatibus formaliter, & saltem secundum rationem. In eadem sententiam referri debet Marsilius in 1. qu. illa 27. articulo 1. conclusio 3. qui quauis existimet, rationem formalem multitudinis esse per intellectum (quod autem verum sit statim dicemus) asserit tamen, esse positivum distinctum ab unitatibus per intellectum.

Ratione vero hæc sententia sic probatur, vnum & multa opponuntur contrarie, ut præcedenti disputatione ostensum est, vel saltem priuatiue, atque vno ex his modis opponi citra controuersiam est. Si autem opponuntur contrarie, necesse est in utroque extremo esse formam positivam contrariam: quod si multitudo nullam rationem significaret præter ipsas unitates formaliter, non essent duo extrema contraria opposita. Si vero opponuntur priuatiue, priuatio debet esse ex parte unitatis non ex parte multitudinis, ut omnes fatentur, docent qui rationem unitatis in priuatione aut negatione sitam esse, ut expresse notauit S. Tho. supra quæstione 11. articulo 2. ergo habitus & forma positiua cui opposita est unitas, ut negatio debet esse in multitudine.

Respondet aliquis, unitatem non opponi multitudini, sed diuisioni, sicut negationem illius non multitudinis: & ita non recte sequi multitudinem esse aliquam formam positivam: id quod docere videtur Sanctus Thomas in hoc articulo ad tertium, cum ait. *Vnum non remouet multitudinem, sed diuisionem*. Sic igitur unitas erit quidem negatio diuisionis, non multitudinis. Hoc ipsum docuerat S. Thomas etiam supra quæst. 11. articulo 2. ad 4. Verum hæc solutio facile potest refelli, primum ex Aristotele 10. metaph. capit. 3. vbi ait, vnum, & multa opponi vno modo, sicut diuisum, & indiuisum, de qua acceptione unitatis, & multitudinis nunc differimus, ut præcedenti disputatione notauimus. Tum etiam definiens eodem capite multitudinem, dixit. *Quod enim diuisum est multitudo quadam dicitur</*